



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Alamundaro & Azeretho, & populi apud Byzantium coorta seditione, cui
nomem à symbolo quod populo dabatur impositum erat, Nica, hoc est
vince. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

Procopius rhetor, à quo res gestæ Belissarij literis proditæ sunt, scribit Cabadem regem Perfarum animo instituisse Chostroæ filio suo natu minimo regnū tradere, iniuisseque cōsiliū, quo pacto ab imperatore Romano adoptaretur, ad eum plane finem, vti regnū ei eo pacto in tuto collocaretur. Verū cum id nullo modo assequi potuerit, Procli impulsu, qui assiduus cum Iustinia no fuit, eiusq; Quæstor constitutus, maiores inimicitia inter eos & Romanos susceptæ sunt. Porrò aut idē Procopius res, à Romanis & Persis, dum inter ipsos prælijs decertabant, gestas, Belissario tum Orientalium copiarum duce, accuratissime disertissimeque narrat. Ac primum victoriā Romanorum apud Daras & Nisibin partam cōmemorat: quo quidem tēpore Belissarius & Hermogenes copijs Romanis præfuerunt. Quibus adiūgit res in Armenia gestas, & mala illa, quæ Alamūdarus dux Barbarorum, qui Scenitæ vocantur in finibus Romanorum patrauit: qui Timostratū fratrem Ruffini vnā cū militibus suis viuum cæpit, ac postea, magna pecuniæ summa accepta eos dimisit liberos.

De Alamundaro & Azeretho, & populi apud Byzantium coorta seditione, cui nomen à symbolo quod populo dabatur impositum erat, Nica, hoc est vince. Cap. XIII.

Incursionem porro in fines Romanorū ab Alamūdaro, de quo dixi, & Azeretho factam, & quo modo cum his in patriam reuertentibus Belissarius coactus ab exercitu suo, in littore Euphratis, ipso die festo Paschatis appropinquante, manus conseruerit, & qua ratione exercitus Romanus propterea quod consilio Belissarij obtēperare noluit, penitus profligatus sit, & quo pacto Ruffinus & Hermogenes pacem perpetuam (sic enim vocarunt) cum Persis constituerint, tam disertè narrat, vt animos legentium valde commoueat. Quibus adijcit seditionem popularem Constantinopoli constatam, quæ nomen ex tessera populi accepit: quippe nica, id est, vince, fuit propterea appellata, quod populus inter se congressus, hanc tessera, Nica, sibi præscripsit, quod alter ab altero internosceretur.

Nn 3 In qua

EVAGR. HISTORIAE

In qua quidem seditione Hypatius & Pompeius à plebe ad tyrannidem occupandam compulsi, plebe deucta mandato Iustiniani capite multati fuerunt, & in mare projecti. In qua dimicatione tringenta hominum millia cecidisse memorat Procopius.

De Vandalorum rege Onoricho, & Christianis quorum lingua ab illo euulsa fuerunt.

Caput XIII.

AB eodem auctore historiã Vandalorum literis mandante narratur res præclarissimæ & plane dignæ, quæ memoriæ sempiternæ cõmendentur, de quibus iam dicturus venio. Onorichus, qui post Genzerichum in imperium successit, & hæresi Arianæ addictus fuit, aduersus Christianos, qui Libyam incolebãt, maximã exercuit crudelitatem. Nam eos, qui rectam & sanam tuebantur doctrinam, vi coegit ad opinionem Arianam se transferre: & eos qui neutiquam eius voluntati cedebant, ignis incendio & alijs infinitis mortis generibus è medio sustulit: quibusdam verò excidit linguas. Quos quidem Constantinopoli, cum eo profugissent, se oculis aspexisse docet Procopius, & perinde locutos, atque eos, quibus nihil tale accidisset: ac tamen linguæ essent radicitus excisæ, voces articulatim protulisse, & clarè distincteque locutos esse. Quod quidem miraculi genus fuit, nouum certe & penè incredibile. De quibus in edicto Iustiniani fit mentio: quorum duo, vt idem scribit Procopius, lapsi sunt. Nã vt primũ voluerunt cū mulieribus colloqui, vox illis adẽpta fuit, nec donũ Martyrij amplius cum illis permãsit.

De Cabaone Maurusiorum duce. Cap. XV.

Aliud præterea miraculum commemorat dignum plane admiratione, quod in hominibus (qui licet id temporis religione à nobis dissentirent, piè tamen se in vita gesserunt) Dei seruatoris virtute factum est. Cabaonem narrat Maurusius circiter Tripolim accolentibus præfuisse. Iste Cabaones (Procopij enim ver

bis